PETRUS LOMBARDUS. BANDINUS. INNOCENTIUS III. PAPA

Österreich, 12. Jh. Seite 140v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26207
Copyright: Admont, Benediktinerstift

eorum heredes imitando efficiuntur.

Quid sit misticus sensus in his

Quod autem superius legitur
mistice intelligendum esse
ostenditur ex eo quod parabola dicitur in
Ezechiele. Pater itaque est uir quidam
dicitur primus punctus cogitationis.
filius uero peccati conceptio consensus.
scilicet et delectatio mulieris. Nepos
est operis completio uel complendi decre-
tum. consensus scilicet uiri uel patratio peccati.
Pronepos autem est perseueratio in eo quod
[Iero.] fecisti. Omnes autem primos et secundos sti-
mulos cogitationum quos greci
propatheis uocant. sine quibus nemo esse
potest. non eternaliter puniet deus. sed si
cogitata quis facere decreuerit uel quod
fecerit corrigere noluerit. que
sunt mortalia peccata et tercia et quarta
generatio. Non mouet quod dicitur: In in-
iquitatibus conceptus sum et in peccatis concepit me mater mea. quod in pluralibus:
[aug.] Sicut enim ~~aug~~ ait. pluralem ibi pro sin-
gulari ponit more scripture. ut
ibi mortui sunt qui querebant animam pueri.
de solo herode agens. Sic et econuerso
singularem ponit pro plurali. ut ibi.
ora ad dominum ut auferat a nobis
serpentem. cum non unum sed plures
paterentur:

Actuale peccatum ade fuit grauius ceteris.

Postremo querendum uidetur
si peccatum transgressionis
ade ceteris omnibus grauius fuerit. quod
ex eo uidetur quia totam naturam huma-
nam mutauit et uiciauit quod
nullum aliud facit. Et quia plus
omni peccato nocuit. multi-
pliciter miserie tandemque utique
morti subdidit quod nullo alio
factum est. Ad quod dicimus quod non est
putandum illud peccatum maius
fuisse peccato in spiritum sanctum. Nec
enim quia maius totam naturam
nostram corrupit. sed quia ab homine
commissum est. qui in eo tota
natura humana erat. Nec etiam
quia plus nocuit maius est pu-
tandum. quia minora mala
plus quandoque nocent. sicut econuerso
minora bona plus prosunt.
uelut apostolus diu cohartaretur
e duobus minus bonum elegit. plu-
ribus tamen profuturum. Sic etiam
baptismi sacramentum
pluribus prodest quam altaris. non
tamen est maius. Post predicta uero de
actuali peccato agamus. consider-
antes que fuit origo peccati
et in qua re sit peccatum et quid
sit et quot modis contrahatur.

Que fuit prima origo peccati

Sciendum est quia ante pec-
catum nulla res fuit nisi
bona. bona utique res scilicet
hominis uel angeli natura ex-
titit origo peccati. Unde ~~aug~~ [contra Iul.]
contra hereticum. Malam uolun-
tatem unde dicis exortam
nisi ex bono? Si enim ex
angelo uel ex homine. quod hec duo
erant priusquam in eis mala
uoluntas oriretur non bonum opus.